

1300 febrer 4. Barcelona

El rei Jaume II ven els drets de bovatge, terratge i herbatge que posseeix a Catalunya als nobles i representants de les ciutats i viles reials, entre les quals hi ha Girona, per la quantitat de 2.000 lliures barceloneses, per pagar els deutes contrets per la reialesa en l'expedició de Múrcia i el viatge de Sicília, així com aquells contrets per Alfons II en la defensa del país contra la reialesa francesa. La present venda haurà de ser aprovada, al començament de cada nou regnat, en un acte públic del rei, abans que els seus súbdits li prestin homenatge. Els homes i llocs d'Església continuaran pagant aquests drets.

[A]. Original perdut.

B. Còpia de A de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 12-18v.

C. Còpia de 15 de novembre de 1689, conservada a ACH de Vilafranca del Penedès, *Llibre Verd*, f. 423v-430v. a. Ed. de la còpia C per Jordi VALLÈS, Jordi VIDAL, Maria Carme COLL, Josep M. BOSCH. *El Llibre Verd de Vilafranca*, vol. II, Barcelona, 1992, p. 887-899 (Fundació Noguera, Llibres de Privilegis-2).

De la venda del bovatge.^a

In Dei Nomine. Noverint universi quod cum nos Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie et Murcie comesque Barchinone ac sacro sancte Romane Ecclesie vexillarius, ammiratus et capitaneus generalis, debeamus maxima, plura et diversa debita richis hominibus, militibus, civibus et aliis diversis hominibus et personis que expendimus pro acquirendo et habendo regno Murcie quod habemus et possidemus et pro viatico quod fecimus in Siciliam et pro aliis de causis plurimis et diversis et etiam debeamus predictis personis multa debita et diversa que illustris dominus rex Alfonsus, bone memorie frater noster, debebat et expenderat pro deffensione regnorum et terrarum suarum in guerris quas habebat et diu habuit cum rege Ffrancie et aliis et nos non haberemus promptam solucionem seu peccuniam, de qua possemus satisfacere supradictis qui instanter a nobis predicta debita requirebant eis solvi, nec etiam possemus ipsam solucionem facere sine vendicione et inveniremus quod non erat aliud quod ita prompte vendere possemus et sine minori dampno quam bovagium et terragium et erbagium que nos asserebamus nos et successores nostros habere debere in Cathalonia, quocienscumque novus rex, dominus seu heres in Cathalonia noviter succedebat, licet assereretur per nobiles milites et cives et homines villarum et omnium aliorum locorum Cathalonie, nos vel successores nostros non debere habere dictum bovagium, terragium et erbagium, ubi aliter habere deberemus, nisi tantum de bobus et ceteris animalibus et peccudibus minutis et super hoc etiam dominus rex Petrus, bone memorie pater noster, fecerit statutum in /12v/ generali curia Barchinone, septimo kalendas ianuarii, anno Domini M^o CC^o octuagesimo tercio, quod ipse dominus rex Petrus vel successores sui non reciperent de cetero bovagium, nisi in illis locis in quibus ab antiquo per predecessores suos recipi consuevit et secundum formam antiquitus consuetam, ita tamen quod extunc usque ad festum Pasche Domini tunc proxime venturum, et ab ipso festo usque ad unum annum tunc proxime venturum probasset formam et loca, in quibus antecessores eius receperunt bovagium, et in locis et forma probatis usque ad terminum predictum reciperent ipse dominus rex Petrus et successores sui bovaticum supradictum, ultra vero terminum predictum non posset ipse dominus rex Petrus probare aliquod de forma nec de locis non probatis, sic tamen quod dictum bovaticum probaretur, sicut facta antiqua poterant et debebant probari, scilicet per instrumenta, libros, scripturas et alias et per famam et assereretur per dictos nobiles, milites, cives, homines villarum et aliorum locorum Cathalonie dictum dominum regem Petrum, patrem nostrum, non probasse infra terminum predictum formam vel loca in quibus antecessores sui consuevissent recipere bovaticum, terragium et erbagium supradictum. Attamen ex certa sciencia, moti ex causa necessitatis predicte cum alias non habeamus ita comode unde dictis richis hominibus, militibus, civibus et peditibus et aliis satisfacere possimus quod de precio dicti bovagii et terragii et erbagii, sive verum sit quod nos debeamus habere bovagium, terragium et erbagium predictum in Cathalonia sive non, sive debeamus habere bovagium, terragium et erbagium predictum de bobus tantum et aliis peccudibus minutis et non de aliis, sive debeamus habere sub certa forma, qualiscumque sit ipsa forma, sive non, idcirco bono animo et spontanea voluntate et ex certa sciencia per nos et per omnes heredes et quoscumque successores nostros vendimus vobis nobilebus Poncio Hugonis, comiti Impuriarum et vicecomiti, tamquam vicecomiti Caprarie et domino de Munellis et de Vilalbino et de Castrofollito tantum /13/ et Raimundo Fulchonis, vicecomiti Cardone, Hugoni de Mataplana, comiti Pallariensi, Geraldo de Cervilione, Guillelmo de Angularia,

Dalmacio de Rochabertino, dompne Guillelme, uxori incliti dompni infantis Petri, bone memorie fratris nostri domineque Montischateni et Castris Veteris, Guillelmo de Alentorn, procuratori nobilis Ermengaudi, comitis Urgelli, et nobilis Poncii de Ripellis, Guillelmo de Subirats, procuratori nobilis Guillelmi de Entença, Arnaldo de Oloç, procuratori nobilis Guillelmi de Montechateno, Arnaldo de Miraliis, procuratori nobilis Philippi de Saluciis, Raymundo de Angularia, domino Uxefave, Berengario de Ciraria, procuratori nobilis Petri de Queralto, Bernardo de Angularia, Bernardo de Capraria, Acardeto de Muro, Raimundo, vicecomiti de Vilamuro, Guillelmo de Castroveteri de Paylars, Poncio de Sancta Pace, Berengario de Sancto Vincencio, Berengario de Raiadello, Raimundo de Gallineriis, Arberto de Verneto, Fferrario de Villafrancha, Galcerando de Villafrancha, Berengario de Gaver, Galcerando de Canellis et Petro Arnaldi de Cervaria, militibus, Berengario Mayolli, Guillelmo Petri Burgeii, Guillelmo Ollomarii, Bartholomeo Romei, Raimundo Ruvira, consiliariis civitatis Barchinone in hoc anno, Guillelmo de Laceria, Bernardo Burgeti, Raimundo Ricardi, Galcerando de Nagera, Petro Burgesii, Bertrando de Oltçeto, Petro Mayolli, Petro de Vilario, Guillelmo de Serra, Romeo Gerardi, Iacobo Basseti, Antico Ticionis, Michaeli Marcheti, Petro de Villafrancha, Iacobo Lulli, Guillelmo Petri Dusay, Iacobo de Canoves, Berengario de Cortilio, Bonanato de Petra, Guillelmo de Colonico, Guillelmo de Colle, notario, procuratoribus sive sindicis civitatis Barchinone et Raimundo de Sancto Clemencio, Raimundo Rotundi, Bernardo Natalis, Guillelmo de Fraga, procuratoribus sive sindicis civitatis Ilerde, Bernardo /13v/ Pinyol, Raimundo Garidelli, procuratoribus sive sindicis civitatis Dertuse, Martino de Cigiario, Bernardo de Banyoles, procuratoribus sive sindicis civitatis Gerunde, Romeo de Moraria, Raimundo Eymerici, procuratoribus sive sindicis civitatis Minorisse, Iacobo Portella, Matheo de Ripullo, procuratoribus sive sindicis ville Cervarie, Guillelmo Ianuarii, Bernardo Peyronet, procuratoribus sive sindicis ville Montis Albi, Miro de Salleforis, Bernardo de Vallemolli et Bonanato Nicholay, sindicis sive procuratoribus Villefranche Penitensis, Arnaldo de Guanolons et Petro Natalis, procuratoribus sive sindicis ville Tarrege, Petro Berengarii Beguda, procuratori sive sindico ville de Bisuldone, Arnaldo Boxo, procuratori^b sive sindico ville de Berga, presentibus et aliis etiam omnibus richis hominibus, militibus, civibus, burgensibus et hominibus villarum Cathalonie et omnibus hominibus et mulieribus vestris et ipsorum, ubicumque sint vel fuerint infra Cathaloniam, tam rusticis quam aliis, et aliis etiam omnibus hominibus laycaliter viventibus Cathalonie, licet absentibus, cum hoc presenti publico instrumento vicem epistole gerenti et vestris et eorum heredibus et successoribus perpetuo et notario infrascripto a nobis nomine ipsorum omnium et aliorum quorum interest et interesse poterit habitancium et habitaturorum in Cathalonia, legitime paciscenti, stipulanti et recipienti, totum bovagium, terragium et erbagium, accionem, servitutem, vexacionem, condicionem et ius bovagii, terragii et erbagii que nos habemus et habere debemus seu asserimus nos habere, et antecessores nostri habuerunt et habere seu recipere consueverunt de iure, usu seu consuetudine, iuste vel iniuste, gratis vel vi, quocumque modo, causa seu forma et successores etiam nostri habere debeant vel deberent seu possint ac possent in Cathalonia, scilicet in civitatibus, villis, castris, locis nostris et aliorum supra specialiter vel generaliter dictorum seu nominatorum et hominibus et feminis habitantibus et habitaturis in dictis civitatibus, villis et castris et locis nostris et aliorum predictorum supra /14/ specialiter vel generaliter dictorum seu nominatorum ac etiam hominibus et feminis habitantibus et habitaturis infra loca, terminos seu territoria dictarum civitatum, villarum, castrorum et locorum et eorum successoribus, cuiuscumque legis, condicionis vel donacionis existant ac etiam omnibus hominibus et feminis, presentibus et futuris, nostris et predictorum supra generaliter dictorum nominatorum, ita quod nos vel successores nostri numquam in Cathalonia in dictis civitatibus, villis, castris et locis et hominibus et feminis habitantibus et habitaturis in locis supradictis, generaliter vel specialiter nominatis, et eorum terminis seu territoriis, nec etiam in aliis supra generaliter vel specialiter nominatis et bonis eorum possimus petere vel habere vi vel gratis seu alio quocumque modo aliquod bovagium, terragium et erbagium vel aliquod aliud quod dici, nominari seu excogitari possit racione seu occasione bovagii, terragii vel erbagii et vexacionis eorum. Quod bovagium, terragium et erbagium nos dicebamus nos et successores nostros habere debere et habere consuevisse in Cathalonia racione novi domini sui nove successionis pro iure nostro vel alia quacumque racione. Hanc autem vendicionem facimus vobis predictis omnibus et singulis supra specialiter et generaliter nominatis, habitatoribus Cathalonie, presentibus scilicet et futuris, et heredibus et successoribus vestris perpetuo, necnon et notario infrascripto a nobis nomine vestro et aliorum predictorum supra generaliter et specialiter nominatorum et omnium illorum quorum interest et interesse potest, legitime stipulanti, paciscenti et recipienti de toto predicto bovagio, terragio et erbagio et de omni accione, servitute, condicione et iure bovagii, terragii et erbagii et vexacione eorum pure, libere et absolute et sine omni excepcione, condicione et retencione et sicut melius dici et intellegi potest, ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum intellectum. Extrahen-/14v/-tes predicta omnia et singula que vobis et vestris et aliis omnibus et singulis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis vendimus de iure dominio et posse nostri et nostrorum et eadem omnia et singula in vestrum vestrorumque et aliorum supra generaliter vel specialiter dictorum seu nominatorum et vestrorum et eorum successorum perpetuo ius,

dominium et posse mittimus et transferimus irrevocabiliter, sic quod semper et inperpetuum vos et omnes alii et singuli supradicti seu nominati generaliter vel specialiter et successores vestri et eorum et etiam omnes et singule civitates, ville, castra et loca Cathalonie, tam nostra quam dictorum nobilium, militum, civium et burgensium et hominum villarum Cathalonie, et aliorum hominum laycaliter vivencium adquisita et adquirenda ac habita et habenda, et etiam omnes homines et femine habitantes et habitaturi in ipsis civitatibus, villis, castris et locis et eorum terminis et territoriis et omnia bona vestra et eorum, tam habita quam habenda, et hominum nostrorum et vestrorum et predictorum presencium et futurorum, perpetuo sitis et sint franchi, quitii, liberi et immunes perpetuo a dictis bovagio, terragio et erbagio et ab omni prestacione, vexacione et inquietacione eorum et ab omni accione, servitute, condicione et iure nostro ipsius bovagii, terragii et erbagii et ab omni etiam specie et genere et forma qualibet presenti, preterita vel futura, bovagii, terragii et erbagii que dici vel excogitari possent et que racione seu occasione eorum peti possent et per nos vel successores nostros non possint peti, exigi, requiri vel demandari seu recipi, vi vel gratis, vel aliquo quocumque modo a vobis vel a predictis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis vel bonis vestris et eorum, mobilibus seu immobilibus, tam habitis quam habendis, racione novi domini seu nove successionis vel quacumque alia de causa, modo vel forma que dici, nominari vel perpendi possit seu posset aliqua racione seu causa preterita, presenti vel futura, hic expressa vel /15/ non expressa. Et ex causa huius vendicionis damus et concedimus vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis et vestris et eorum successoribus perpetuo et notario infrascripto a nobis nomine vestro et predictorum supra generaliter vel specialiter nominatorum et omnium illorum quorum interest et interesse potest, legitime stipulanti, paciscenti et recipienti omnia loca, iura, voces et acciones, reales et personales, mixtas, utiles et directas, ordinarias et extraordinarias et alias quascumque que nobis et heredibus et successoribus nostris competunt et debent vel possunt competere quocumque modo, iure vel causa in predictis omnibus et singulis, que vobis vendimus et a quibus vos et vestros immunes, quitios et franchos facimus perpetuo et contra quascumque personas et res racione eorum. Quibus locis nostris et nostrorum successorum, iuribus, vocibus et accionibus predictis possitis vos et vestri uti, agere et experiri in iudicio et extra et vos et vestros successores et eorum presentes et futuros perpetuo deffendere et tueri contra quascumque personas in predictis, que vobis vendimus seu racione vel occasione eorum questionem aliquam vel demandam proponentes seu molestiam aliquam inferentes quemadmodum nos possemus ante presentem vendicionem et cessionem. Nos enim facimus et constituimus vos omnes et singulos supra generaliter et specialiter dictos seu nominatos, presentes scilicet et futuros, perpetuo et notarium infrascriptum nomine vestro et aliorum supra generaliter vel specialiter dictorum seu nominatorum et aliorum omnium et singulorum quorum interest et interesse poterit, a nobis legitime paciscentem, stipulantem et recipientem, dominos et procuratores in rem vestram propriam quantum ad perpetuam deffensionem, libertatem, franchitatem et immunitatem vestri et aliorum omnium predictorum. Pro hac autem vendicione et pro precio eiusdem habuimus et recepimus a vobis ducenta mille librarum bone monete Barchinone perpetue de terno. Quod^c totum precium confitemur et recognoscimus in veritate misisse et convertisse in bonum et /15v/ utilitatem nostram et terre nostre, scilicet in solucionem debitorum predictorum que debebamus, ut superius est iam dictum. Et ideo quia inde bene peccati sumus, renunciamus excepcioni non numerate peccunie et satisfaccionis non habite et non recepte et doli et legi illi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur. Dantes, remittentes et relaxantes perpetuo ex nostra largicione per nos et omnes heredes et successores nostros, pura, perfecta et irrevocabili donacione inter vivos, vobis et vestris et aliis omnibus et singulis supra generaliter et specialiter dictis seu nominatis, presentibus et futuris, perpetuo, necnon et notario infrascripto nomine vestro et aliorum predictorum supra generaliter et specialiter dictorum seu nominatorum, presencium et futurorum, perpetuo, et aliorum omnium et singulorum quorum interest et interesse potest, a nobis legitime stipulanti, paciscenti et recipienti si quid hec que vobis et vestris et aliis omnibus et singulis supra generaliter et specialiter dictis seu nominatis, presentibus et futuris, perpetuo vendimus, plus modo valent et valebunt seu valere possunt precio supradicto. Et nichilominus quia sic convenimus in tractatu vendicionis predicte vobiscum, interveniente precio supradicto, absolvimus, diffinimus et remittimus bono animo et spontanea voluntate et ex certa sciencia vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis seu nominatis, specialiter vel generaliter, perpetuo, per nos et omnes heredes et successores nostros, sive ius nos vel successores nostri haberemus in dicto bovagio, terragio et erbagio seu eorum modo seu forma ex causis predictis vel aliis sive non, vel sub quacumque forma, totum ipsum bovagium, terragium et erbagium et omnem etiam accionem, servitutum, condicionem et vexacionem et ius nobis et successoribus nostris competencia et competitura, racione vel occasione eorum, modo aliquo, iure, forma vel racione. Promittimus insuper vobis et vestris et aliis omnibus et singulis supra ge-/16/-neraliter vel specialiter dictis seu nominatis et notario infrascripto, nomine vestro et predictorum supra generaliter vel specialiter nominatorum vel dictorum et illius vel illorum quorum interest vel interesse potest, a nobis legitime stipulanti, paciscenti et recipienti, totam hanc vendicionem, absolucionem, diffinicionem et remissionem per nos et omnes heredes et

quoscumque successores nostros salvare perpetuo, et quod nos et nostri erimus inde vobis et vestris perpetuo legales, girentes, actores et deffensores contra omnes personas et inde tenebimur vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis generaliter vel specialiter dictis seu nominatis perpetuo de eviccione et de omnibus etiam aliis de quibus venditor tenetur vel teneri potest aut debet emptori. Et si forte aliqua persona, cuiuscumque dignitatis seu condicionis existeret, contra vos vel vestros, vel alios omnes et singulos supra generaliter vel specialiter dictos seu nominatos, presentes et futuros, moveret vel faceret questionem aliquam vel demandam racione eorum que vobis et vestris et aliis supradictis specialiter et generaliter nominatis perpetuo vendimus, absolvimus, diffinimus et remittimus, nos promittimus vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis seu nominatis generaliter vel specialiter et notario infrascripto nomine vestro et eorum et illius etiam vel illorum quorum interest et interesse potest a nobis legitime stipulanti, paciscenti et recipienti per nos et omnes heredes et successores nostros quod opponemus nos deffensionem vestri et vestrorum et aliorum omnium et singulorum supra generaliter vel specialiter dictorum seu nominatorum, presencium et futurorum, perpetuo, et agemus et ducemus causam seu causas nostris propriis expensis a principio usque ad finem et vos et vestros omnino indempnes servabimus, aut vos vel vestri, si volueritis, possitis ipsam causam seu causas agere et ducere per vos ipsos, vobis tamen et omnibus aliis et singulis supradictis specialiter vel generaliter dictis seu nominatis super hoc /16v/ eleccione servata. Nos enim remittimus vobis et vestris et aliis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis et notario infrascripto nomine vestro et predictorum supra generaliter vel specialiter nominatorum et illius vel illorum quorum interest vel interesse potest, a nobis legitime stipulanti, recipienti et paciscenti, ex pacto necessitatem denunciacionis, et si vos vel ipsi elegeritis dictam causam seu causas ducere in propria persona. Promittimus per nos et omnes successores nostros vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis specialiter vel generaliter dictis seu nominatis, necnon et notario infrascripto nomine vestro et omnium aliorum et singulorum predictorum generaliter et specialiter nominatorum et illius vel illorum quorum interest et interesse poterit, a nobis legitime stipulanti, paciscenti et recipienti, quod nos et successores nostri restituemus et solvemus vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis specialiter vel generaliter dictis seu nominatis omnes expensas, tam circa rem quam circa litem,^e quam racione vel occasione utriusque factas, et quicquid et quantum inde a vobis vel vestris vel ab eis evictum fuerit simul cum toto dampno et interesse quod inde feceritis vel sustinebitis quoquomodo, sive obtineatis in causam, sive subcumbatis, et credatur inde vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis specialiter vel generaliter dictis seu nominatis, plano et simplici verbo vestro et ipsorum, nullo alio genere probacionis exacto. Preterea ex certa sciencia volumus et concedimus vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supradictis specialiter vel generaliter dictis seu nominatis, et notario infrascripto nomine vestro et omnium aliorum et singulorum predictorum generaliter et specialiter nominatorum a nobis legitime stipulanti, paciscenti et recipienti, et perpetuo ordinamus per nos et omnes heredes et quoscumque successores nostros, quod successores nostri in comitatu Barchinone et in Cathalonia, tam generaliter quam specialiter, unus post alium successive, tempore sui novi domini sui /17/ nove successione, antequam richi homines, milites, cives et burgenses et homines villarum et aliqui alii Cathalonie sibi faciant seu prestant iuramentum vel fidelitatem vel sibi in aliquo respondeant et antequam aliquis, requisitus expresse vel non requisitus, sibi faciat vel facere teneatur homagium vel aliquam recognicionem racione feudorum vel qualibet alia racione, ipse successor nostri et nostrorum in comitatu Barchinone et Cathalonia, quicumque fuerit generalis vel specialis, per se et suos laudet et confirmet et iuret publice et approbet presentem vendicionem, absolucionem, diffinicionem et remissionem bovagii, terragii et erbagii et accionis et vexacionis et iuris eorum cum publico instrumento et usquequo predictam laudacionem et confirmacionem, iuramentum et approbacionem predictorum omnium fecerit cum publico instrumento aliquis de predictis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis, vel eorum successores non teneantur ei respondere in aliquo. Et si per aliquem, cuiuscumque condicionis seu status existeret, sacramentum fidelitatis vel homagium seu alia quevis obligacio facta essent, antequam predicta, ut est dictum, laudata, approbata et iurata essent, per novum quemvis dominum, non valerent et pro non factis penitus haberentur. Et pro predictis omnibus et singulis complendis et attendendis, obligamus vobis et vestris et omnibus aliis et singulis supra generaliter vel specialiter dictis seu nominatis, presentibus et futuris, perpetuo, et notario infrascripto nomine vestro et vestrorum et predictorum omnium et singulorum generaliter et specialiter nominatorum seu dictorum et illius vel illorum quorum interest et interesse potest, a nobis legitime stipulanti, recipienti et paciscenti, nos et omnes heredes et successores nostros et omnia bona et iura nostra et eorum, mobilia et immobilia, tam habita quam habenda. Renunciantes quantum ad hec ex certa sciencia omni iuri, privilegio, racioni et consuetudini contra hec repugnantibus et ad maiorem cautelam iura-/17v/-mus^d in anima nostra per Deum et crucem Domini nostri Ihesu Christi et eius sancta quatuor Evangelia, manibus nostris corporaliter tacta, predicta omnia et singula et unumquodque predictorum tenere, complere et observare inviolabiliter et nunquam in aliquo contravenire aliquo iure, privilegio, causa vel racione. Volumus tamen quod libertates et franchitates quas habent et habuerunt civitates Barchinone, Ilerde, Dertuse et

Gerunde, et cives, habitatores earum et quedam alia loca Cathalonie de non dando bovagio, erbagio et terragio sint et remaneant semper in suo robore et valore. Verumtamen si aliquod dubium sit vel esse possit quare non deberent esse franchi et liberi, volumus et intellegimus in presenti vendicione contineri dictas civitates et loca et eorum cives et habitatores cum sint emptores et solverint partem precii dicte vendicionis. In hac autem vendicione et absolucione, diffinicione et remissione, non est nec intelligimus bovagium et terragium et erbagium et dominium et iura eorum que nos et nostri successores asserimus nos habere in omnibus hominibus et locis prelatorum, religiosorum et clericorum, et in hominibus et locis Templi et Hospitalis et aliarum quarumlibet personarum religiosarum seu ecclesiasticarum et in hominibus et feminis dictorum prelatorum, religiosorum et clericorum et aliarum personarum reliogiosarum et ecclesiasticarum, habitantibus et habitaturis infra terminos seu territoria civitatum, villarum, castrorum sive locorum nostrorum. Volumus tamen et concedimus et intelligimus quod homines et femine prelatorum, religiosorum, clericorum et Templi et Hospitalis et aliarum personarum, religiosarum et ecclesiasticarum, habitantes et habitaturi infra terminos sive territoria villarum, castrorum sive locorum dictorum nobilium, militum, civium, burgencium /18/ et hominum villarum Cathalonie et aliorum hominum laycaliter vivencium in Cathalonie, presencium et futurorum, in presenti vendicione et absolucione et difinicione et remissione bovagii et terragii et erbagii et exaccionis seu vexacionis eorum contineantur et intelligantur. Preterea ad honorem Dei et beate Marie et in remissione^f peccatorum nostrorum, volumus ex certa sciencia et concedimus quod hospitale, dictum hospitale pauperum novum Gerunde, quod situm est in Areyn de Gerunda cum mansis et hominibus et feminis et bonis et iuribus ipsius hospitalis, habitis et habendis, sit et intelligatur perpetuo in predicta vendicione et remissione et absolucione et diffinicione bovagii, terragii et erbagii predictorum, et accionis et vexacionis et iuris eorum, non obstante dicta retencione.

Actum est hoc Barchinone, pridie nonas ffebroarii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Signum (*signe reial*) Iacobi, Dei gratia regis Aragonum, Valencie et Murcie comitisque Barchinone ac sacrosancte Romane Ecclesie vexillarii, ammirati et capitanei generalis, qui hec laudamus, firmamus et iuramus.

Testes huius rei sunt: nobiles Iaçpertus vicecomes Castri Novi, Bernardus de Serriano, Raimundus de Villanova, Guillelmus Scribe de Valencia, Raimundus de Toylano, Bernardus Guillelmi de Pinellis, Petrus Comitis, legum doctor /18v/ Bernardus de Aversone, Petrus de Letone, scriptores domini regis, Petrus Marci et quamplures alii.

Sig+num Stephani de Podio, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit die et anno quo supra.

a. *Marge esquerre, foli 12, línies 14-17: clau. Foli 14, línia 10-15: clau. Foli 14v, línies 9-11: clau. Foli 17, línia 2, nota hic bene. Foli 18, línia 4, nota pro hospitali. B. b. procurator, B. c. Al marge dret, amb dues lletres, una fosca, l'altra clara: precio, B. d. iura-/17v/-ramus, B. e. littem, B. f. remissionem, B.*